

Dhn Sturm und Ungemach mit hellem Sonnen-Blicke

An ein erwünschtes Amt bald freudig landen an.
Läßt das Verhängniß uns so bald nicht wieder sehn/
So unterläßt mein Herz doch nicht dein zu gedencken
Nur dieses wolstu mir mein Freund hingegen schencken:
Laß deinen Schelwig dir in deinem Herzen sehn.

* Respicitur ad Disputationem quam sub Praesid. Excel. Dn. Christ. Sahmii de Transitu Israelitarum per Mare Rubrum habuit. Nient gratulirte seinem werthen Herrn Vetter/ und begleitete ihn mit Anwünschung einer glücklichen Reise in sein Vaterland

Gottlieb Schelwig/ v. D.

Sonnet.

W ein gemahltes Werck die Vogel kan betriegen/
Ein falscher Vorhang selbst den klügsten Künstler blende;
Was wunder? das man oft die Heuchler selbst nicht kennt/
Bey denen Gottesfurcht soll im Gesichte liegen/
Die ohne lachen stets viel Geufftzer lassen fliegen;
Da doch verdammte Lust in ihren Seelen brennt/
Und Stolz und Hurerey sie liebste Kinder nenne
Wenn sie nur über Fleisch und Blut stets wollen siegen.
Doch liebt ein jeder nicht derselben Heucheley/
Der/ daß die Menschenfurcht/ die Gottesfurcht nicht sey
Wie du mein wehrter Freund aus Gründen kanst erweisen/
Denn dieses zeigen ja die klugen Blätter an
Wie man ehn Heucheley den Höchsten fürchten kan.
Bleib ferner so gesinnt/ so wird dich jeder preisen.

Gabriel Benter/ Ged.

Magn. Senatus Alumn.

LEONARDUS GEBAUER

νατ' ἀναγε:

SURGE! BEANDE LAURO.

SURGE! Et ut usq; soles, jam pulpita scande virili
Pectore: Io lauro surge beande sacra.
Pro Pietate loquens primus, Pietate secundus
Nulli: quod pietas Lex tibi prima, doces.
Perge precor vigilans pietatis surgere cultos;
Laurus ut in caelis Te quoque clara bees.

Hac Politiss. Dn. Respondenti Contubernalis & Amico suo astumando, de edito hoc Theologico specimine gratulans, posuit

JACOBUS MATTHÆI, Ged.



XI.

EXERCITATIO ACADEMICA III.
DE
AUGMENTATIO-
NE,

QUAM

in Jubilæi Academici Salani,

d. 2. Februar. & seqq. celebrati,

memoriam,

DEI & superiorum indultu,

PRESIDENTE

M. CHRISTOPHORO HEINRICO

LOEBERO,

Amplissimæ Facultatis Philosoph. Adjuncto,

Publicè habendam,

exhibet

AUTOR

GEORGIUS REICHARDUS Hammer/Maria Montanus

ad d. Februarii

anni, quo

InCLVra CentenVM reCOLIt genItaLe LyCei,
Iena (VI, IoVæ VIVaqVe Vota VoVet.

Prelo FREYSCHMIDIANO.




EXERCITATIO ACADEMICA IN
AUGMENTATIO

in Jussu Academiae Salanae
DEI & Imperatorum Indulgentia
M. CHRISTOPHORO HEINRICO
LÖFFLERI
Auctoris
GEORGII REICHBUSI
D. M. D. C. C. L. I. I. I.



426403



Gubernatore Rerum Humanarum Maxi-
mo Moderante.
ΠΡΟΛΑΙΟΝ.

Numen illud sublunare, seu Sub-
tilitatis Aquila, divinus Scaliger in Ex-
recit. 6. s. 1. loquitur, beatissima omni-
umq; procreatrix Natura, ut nihil suo-
rum operum relinquit imperfectum, ita
omnibus, quas e sinu suo emittit in lucem,
aut extremam statim concedit perfectio-
nem, aut facultatem saltem & vires ad
eamdem aliquando adspirandi. Sic quum homo (ut hujus tan-
tum, tanquam animalis omnium nobilissimi, totiusq; mundi
quasi Epitomes, mentionem injiciam) ob nimias uteri materni
angustias debita sibi statura proceritate in hujus mundi pro-
fscenium prodire non possit, induisit ipsi clementissime ejusmo-
di facultatem auctricem, cujus ministerio per alimenta, cate-
ra si sint paria, ad justum magnitudinis terminum adsurgere
facile liceat; & quidem tam latenter atq; artificiose, ut nemo
non ingeniosissimam ipsius solertiam summe admiretur, vebe-
mentissimog; admirandi Accretionis modi intime cognoscendi
desiderio non exardescat. Et hinc quoq; factu, ut, quum qua-
lescunq; ingenii vires periclitari, decrevisse, doctrina de aug-
mentatione pra aliis adsumere libuerit. Tantum autem abest,
ut hac doctrina ingenio meo sit adequata, ut potius inter dif-
ficillimas

facillimas disquisitiones Physicas iure & merito possit adnume-
rari. Petrus Pomponatius, ut verba doctissimi Zabarella,
qua leguntur lib. de Accret. & Nutrit. cap. 1. jam faciam
mea, qui duobus à se editis libris diligentissime de Accretione
disputavit, non solum se in ejus cognitione non acquiescere, pa-
lam & ingenuè confessus est, sed etiam ad severare ausus, nul-
lum esse mortaliū, qui possit adserere, sibi in hujusce rei in-
telligentia esse plenè satisfactum. Quid jam queso mihi hęc
in re erit sperandum? Sed malo discendi gratiā tentare quip-
piam, quā penitus desperabundus abjicere calamum. Fa-
ciam, quod possum, non quod debebam. Compromitto verò
mibi à Te, B. L. tantò facilitorem erratorum veniam, quanto
difficilioribus hęc doctrina, ut dixi, est obsepta & quasi cir-
cumvallata difficultatibus. Expandam igitur, BONO CUM
DEO, sine ulteriori verborum ambage Disputationis meae ves-
ta. Faxis Numen illud benignissimum, ut aliquando eadem
liceat contrabere FELICITER.

Th. I.

Vocis aug-
mentatio
ambiguitas



Uum autem ἢ τῶν ὀνομάτων χεῖς ταρχδεῖ-
σα καὶ τὴν τῶν πραγμάτων ἐπιταρχδεῖ γινώσκει, uti
Galenus lib. 3. de simp. Med. (si. Becmanno de O-
rig. L. L. p. m. 151. est adcredendum) contestatur;
igitur ne & nos turbatā usurpatione vocis Aug-
mentatio in periculosos abripiamur errorum macandros, i-
psiusque materiæ controtuplicemus cognitionem, ante o-
mnia varios vocis evolvemus significatus.

Evolvitur,

Th. II. Nolumus tamen heic justò prolixiores esse in
vocis hujus acceptionum recensione, quæ prolixè memoran-
tur à Piccolomineo lib. de Accret. in proamio, Toletio comment. in lib.
1. de Gen. & Cor. c. V. quest. 8. Conimbricens. in eundem locum quest.
XIII. Art. 1. sufficiant jam nobis tres tantum illæ, quas Thomas
de Aquino lib. 1. de Gen. & Cor. quest. 9. fol. m. 10. intimat, quas-
que Excellentissimus NOSTER ZEISOLDUS, qui primò locò no-
mina-

minati debuit, Instit. Phys. l. 1. s. 3. puncto 10. s. 314. approbat
& clarius exponit. Est nimirum vox *Augmentatio* vocabu-
lum ab uno, & sumitur (α) *impropriissime*, tum pro aggregatio-
ne & accumulatione, tum pro extensione absq; novæ materiæ
accessu; sive in genere, ut Thomas l. c. loquitur, pro quacūq; ali-
cujus rei majoratione. (β) *Impropriè*, uti & inanimatis com-
petit, quatenus illa majorem sortiuntur quantitatem per ma-
teriæ exterioris aggenerationem. (γ) *Propriè & strictissime*,
pro tali actu potentiz vegetantis, quo vivens ex alimento ad-
sumto majorem quantitatem acquirit. Hoc modo & nos
in præfenti vocem istam sumimus.

Synonymum,

Th. III. Petrus Hurtaeus de Mendezà Diss. III. de substant.
corp. gen. & corr. sect. 3. ponit realem distinctionem Augmen-
tationem inter & Accretionem. Nobis cum aliis doctissimis
Viris utraque vocabula sunt synonyma.

Definitio Ari-

Th. IV. His ita in limine adnotatis, ad ipsam *Augmentatio*
definitionem memores præcepti Tulliani lib. 1. Offic. acutum
progrediamur. Aristoteli V. Phys. c. 2. s. 18. *Augmentatio* est
κίνησις εἰς τὸ πλείον μέρους, motus, qui est ad perfectam quantita-
tem; vel uti ex l. I. de Gen. & corr. c. 5. s. 31. patet, τὰ ἐπιπέχον-
τα καὶ ἄρα ἐπιπέχοντα, magnitudinis, quæ in aliquo corpore est. in-
crementum. De venerando NOSTER ZEISOLDUS Augmen-
tationis conditiones, quæ ad ipsius indolem declarandam
aliquid conferunt, & à nobis in progressu adducentur, simul
attendendo, hæc Philosophi definitiones in unam coëgit,
taliterque l. c. complevit: *Augmentatio*, dicens, est motus, quo
res naturalis, salva suâ essentiâ, à minore quantitate ad majorem,
usq; ad terminum, à naturâ præfinitum, adsurgit.

Definitio Ari-

Zeisoldi,

Th. V. Ut natura *Augmentatio*is rectius pateat, &
hęc definitio contra malevolos firmò consistat robore, sin-
gulas ipsius partes accuratori paulò subjiciemus disquisiti-
oni. Genus est motus. Accretio enim est actus, ἐπιπέχεια
sive perfectio, quâ mediante vivens majorem quantitatem, ad
quam jam est in potentiâ, adeoque sic perfectionem sibi de-
bitam indipiscitur. Nec obstat, quòd Aristoteles l. I. de Ori. &
Int. s. 1. & alibi passim contrarios ad motum requirat termi-
nos; & verò in l. Categ. c. VI. s. 18. & seqq. ostendat, quantitati,
adeoque

Cujus conside-

ratur 1. genus;

motus.

Objectio

Resp.

adeoque & magno & parvo, quæ l. de Calo c. lxxi. 86. Accretionis termini constituuntur, nihil esse contrarium. Sciendum enim vocem *in artibus* sive *contrariis* nunc accipi latius, nunc vero strictius: Non semper strictè sumitur ab *Aristotele* pro oppositione eorum, quæ sub eodem genere maximè distant, & eidem subiecto susceptivo per vices insunt, à quo se invicem expellunt, nisi alterum insitâ naturâ, de quibus agitur *Categ. c. X. & XI.*, sed latè interdum de quâcunque oppositione aut pugnâ, pro materiæ, de quâ tractatio est, conditione. In hac latiori acceptione sumitur in præsentî materiâ: & sic etiâ magnum & parvum sunt contraria, non quidem, ut quanta, sed ut sunt magna & parva. Confer *Conimbr. in V. Physic. 2. quæst. 1. art. 3. & Suarezium Disp. Met. XLI. s. V. n. 2. 3. & 4.* Si tamen vocabulum *contrariorum* cuidam videatur duriusculum, is locò illius vocem *oppositorum*, tanquam generaliore, optimâ nostrâ cum pace poterit substituere.

Alia obiectio, in quâ declaratur, quomodo terminus à quo abijciatur.

Th. VI. Neque adsertum nostrum destruit, qui dicit, in omni motu terminum à quo abijci, hoc ipsum autem in Accretione non fieri. Negamus enim subsumtum, siquidem ejus terminus à quo dupliciter potest considerari; (1) materialiter, prout est quantitas, præcisâ parvitate, & sic quidem permanet, (2) formaliter, quatenus est minor & imperfecta quantitas, & hæc accedente majori & perfectâ omninò abijcitur. Unde cum Excellentissimo NOSTRO ZEISOLDO l. c. & Pererio l. 14. c. 2. limitamus Majorem ita: in quocunque motu terminus à quo neque quoad formale, neque quoad materiale abijcitur, ille non est propriè dictus motus: & hæc ratione relegamus Minorem. Neque Augmentationem nostram hõc suo genere spoliare poterunt, qui putant, omnem motum ex naturâ suâ esse continuum, ac proinde eandem, quia ex ipsorum mente non est continua, minimè esse motum. Licet enim non pauci continuitatem ad essentiam motus requiri, autument, ea tamen sententia omni fundamento caret, nec augmentationem motum instantaneum esse, probatum est.

2. Differentia,

Th. VII. Per sem naturalem notatur Augmentationis subje-

subjectum. Quod, ut in mutationibus aliis, ita & in Aug. in quâ ponimentatione constitui solet duplex, scilicet subjectum quod & sur. s. subiectu quo. Illud est, ut dictum, res naturalis. Motus enim hic est affectio totius corporis, non alicujus ejusdem partis. Hoc est materia, commune omnium mutationum Physicarum receptaculum. Quantumvis enim composita Physica ex receptæ sententiæ tenore dicantur motus subjectum; attamen omnis mutatio est penes materiam, utpote quæ mutationes, earumque extrema in se recipere & sustinere tenetur. Fuit illa quidem secundum Philosophum instar aquæ per utrem delabentis, verum non tota simul & semel, sed successive & partialiter.

Th. IIX. Hec notari potest nobilissima, sed pariter Q. an fluente difficillima illa quæstio, an fluente materiâ forma materialis, materiâ etiam quippe ab eâ dependens, simul fluat, & eadem adauctâ, alie am forma ex partis ipsius noviter adcreta potentia, ut aliâs, educatur? fluat? Hõc de quæsitò duæ imprimis leguntur opinioniones. Una est, quam *Marsilius I. de Gen. q. 13. Scotus in II. Sent. dist. 44. quæst. 1. Aliqui affir-* ut citat *Arnisæus, Piccolomineus cap. IX. lib. allegati. Tolcius l. c. mant,* quæst. 9 Ipse *Arnisæus Epit. Doctr. Phys. p. 268. & seq.* aliique amplexantur, dicentes, quoniâ forma materialis à materiâ, in quâ est, inseparabilis, & ut tota in toto, sic pars in qualibet ejusdem parte est; igitur quemadmodum fluente simul totâ materiâ tota etiam forma periret, ita fluentibus materiæ partibus unâ illius formæ parteis defluere necesse esse & vice versâ. Aliter adscribitur *Alexandro, Philopono, Thoma & Petro Pomponatio,* quos sequuntur *Zabarella de Accretione c. 15. B. Meisnerus Philos. Sobr. pars. 1. s. 4. c. 3. quæst. 2. Sennertus Epit. N. S. l. VI. c. 2. Scalliger, Bartholinus & alii complures, qui docent, solum materiam secundum parteis fluere & renovari, animam verò per totam vitam manere eandem, & auctâ materiâ se ad eam animandam extendere, ipsâ verò defluente, semet iterum retrahere. Zabarella l. c. expressè ait: nihil, meò quidem judicio, vanitè & ab anima naturâ alienius est, quàm dicere, particulas animæ cum particulis materiæ continuò fluere, & alia nove anima particulas de potestate materiæ ad actum educi. Utraque hæc sententiâ maximè*

alii negant

tera viventis, ut denique (c) *accr. mentum non constituatur fieri accessu rei alicujus incorporea.*

Obj. contra primam conditionem.

1.

2.

3.

4.

Satisfit

1.

2.

Th. XI. Quo autem modo qualibet viventis pars, ob-
servatis ceteris ex *Aristotele* modo adductis Augmentationis
requisitis, possit incrementum, immane quantum dubiosum est
inter Auctores. Quum enim augmentum fiat per adventum
alimenti tanquam corporis alicujus, profecto aut admitten-
da erit corporum penetratio, aut statuenda totius in minimas
suis partis divisio, quod tamen utrumque impossibile, quin
alterum ingenti sine corporis dolore non potest sperari. De-
inde si quavis pars incrementa caperet, sequeretur, eas etiam,
quae aruere morbo, incrementum, cui tamen ipsa reclamant experi-
entia. Tertio videtur ex hac omnium partium auctione et-
iam hoc propullulare absurdum, quod vivens hac ratione
aeque secundum trinam dimensionem crescat, atque ita tam
latam & profundam, quam longam evadat, id quod repu-
gnat sensibus. Quarto, si hoc verum esset, oporteret nutri-
mentum dividi in infinitum, cum viventis partes sint infinitae,
quod tamen impossibile.

Th. XII. Verum enim verò hae argumenta tantum
sunt roboris, ut nostram sententiam possint infringere. Dici-
mus enim ad primum, negando disjunctionem, cum dicitur
tertium. Nimirum latere in quolibet vivente calorem a-
liquem naturalem, & lippis & tonsoribus non est ignotum.
Hic calor non est otiosus, sed interiores corporis partes
continuam resolutione consumit, ex eorumque resolutione &
consumptione innumeras vacuitates, vapore resoluta vel ex-
cremento plenas, quas poros adpellamus, relinquit; eum
quidem in finem, ut sint viae, per quas & excrementa resoluta
ejiciantur foras, alias partium corruptionem forte causatura,
& alimentum trahatur ad singulas viventis partis innu-
triendas, & si materia minus defluxit, simul augendas. Nulla
igitur in Accretione hae admittis, corporum penetratio, aut
partium cum dolore divisio est metuenda. Secundo respon-
demus primo cum *Thomâ l. c.* quod quando dicimus, quamli-
bet viventis partem crescere, illud intelligimus de partibus
benè dispositis & sanis. Unde si aritudo tanta sit, ut artus spo-
liantur

liantur vita, tum, nihil mirum, si ejusmodi muneribus, quae
viventium sunt propria, destituantur. Deinde possumus &
totum concedere. Haec enim est mens *Aristotelis*; quando a-
liquid totum augetur, tum & omneis illius partis augeri ne-
cessum est. At quando jam una totius pars non augetur, neque
totum augetur, uti manifestum & largam manu à nobis potest
admitti, sed duntaxat totum extra illam partem. In tertio ne-
gamus sequelam. Non enim Augmentum secundum quamque
corporis dimensionem est aequale, & in una parte tantum,
quantum in altera, sed observatur egregie à facultate altrice
(quod sanè mireretur animus) medium justitiae distributivae,
& pro conditione cujusque partis in corpore fit alimenti ex-
pensio, & quidem juxta regulam virtutis formatricis, quae ho-
minem pronam corporis figuram vult decoratum. Ad quartum
dicimus (a) cum *Thomâ l. c. quæst. XI.* quod, quemadmodum
partes viventis actu non sunt infinitae, ita & nutrimentum,
non debeat in infinitum esse divisum (b) Possumus & largam
concedere manu, hoc pacto non omneis viventis partis se-
cundum materiam augeri, augebuntur nihilominus secun-
dum formam, id quod duntaxat etiam *Philosophus l. c. i. 36*
requirit.

Th. XIII. Hae nota prima internoscitur Augmentatio ab
impinguatione. Homo enim e. g. pingvescens non crescit se-
cundum omneis corporis partes, nec in longum quum ossa,
sine quibus Accretio fieri nequit, non simul extendantur, sed
fit tantum paulò carnosior.

§. XIV. Possemus jam pedem promovere ulterius, &
ad alia transire, nisi locus ille *Aristotelis l. 36.* quem supra quo-
que intinavimus, nobis obviaret ventilandus. Verba *Philoso-*
Aristotelis
sophi hae sunt: τὸ ἐν ὀλίγῳ μέγεθος αὐχαιότης, καὶ περὶ σίτης
ἰσότης, καὶ μὴ τὸ εἶδος ὅτι ἐνδοχόμοι, καὶ ἡ πηύλην, ἢ ἡ στήν, ἢ ἡ
καὶ μὴ τὸ εἶδος ὅτι ἐνδοχόμοι, καὶ ἡ πηύλην, ἢ ἡ στήν, ἢ ἡ
at secundum materiam haud quaquam. Gemina videbis s. seq. ubi
ait: καὶ μὴ τὸ εἶδος ὅτι ἐνδοχόμοι, καὶ ἡ πηύλην, ἢ ἡ στήν, ἢ ἡ
quae verba tot ferè sunt sententiae, quot Auctorum capita.
Marfilii & Albertus de Saxo, ut testatur *Toletus*, partis secun-
dum materiam exponunt porosas, secundum materiam verò
solidas

solidas & compactas. *Alexander* dicit in homine reperiri
partes statuit, spermaticam & nutrimentalem, & illam hoc
locò vocari formam, hanc materiam. *Thomas* 4. contra gen-
tes c. 81 ut citant *Conimbrani* c. 9. n. 1. & locò proximè su-
prà citatò, *Toletus* l. 1. q. 9. & plures alii per formam intelli-
gunt naturam viventis specificam per materiam verò ipsius
individuationem, seu naturam certis individuationibus in-
dutam: alii exponunt aliter. Antequam heic nostrum adji-
ciamus placitum, præmonemus, *Aristotelem*, ut ex ipsius verbis
patet, non velle, nullo modo corporis partes secundum
materiam augeri, quod tamen plurimos ipsi attribuere vide-
mus; verum negare tantum omnem partem materiam, in quam
ipsa dividi potest, crescere, quia aliàs necessariò approbanda
veniret corporum penetratio. Unde *Marsili* & ejus adlecta-
rum opinio sponte sua corrui. Si enim *Aristoteles* per partes
materiales intellexisset solidas & compactas, & verò illarum
etiam quasdam, non omnes licet, statuisset augeri, qui cor-
porum penetrationem potuisset declinare? Deinde partes
porosa non sunt partes viventis, sed quædam duntaxat for-
minum spatia & vacuitates. Ridiculum proinde illis in Ac-
cretionem viventis fieri additamentum, quum ipsius non sint
partes. Si porò *Alexandri* sententia foret amplexanda, quum
partes illæ spermaticæ absque dubio sint aliquid corporeum,
sapienter dictum absurdum, corporum sc. penetrationem, etiam
non liceret devitare. Quoniam enim omnis Augmentatio
provenit ex accedente aliquò corpore, uti paulò post dabitur
probatum, partes illæ spermaticæ aut erant totæ, quantæ
quantæ sunt, porosa, aut accedens nutrimentum, corpo-
reum illas permeabit, quod utrumque æquum. Accedit,
quod partium harum distinctio, quam adferunt, non dum ex-
tra omnem dubitationis aleam videatur posita. Tertiam
quoque suis relinquimus autoribus: nam quum propriè ad-
sit responsio, nos ut illam acceptemus, minime putamus op-
pus. Insistimus proinde ipsissimis *Aristotelis* verbis, & per for-
mam nihil aliud, quam animam, per materiam verò corpus i-
psi subiectum intelligimus. Etenim quum innumeros quos-
dam poros in vivo corpore dari supra probaverimus, ne-
cessum

colliguntur, ut intra duas ejusmodi vacuitates alià interjaceat
particula, quæ non sit porosa, quam vocabimus minimam,
non quòd illa in plures non sit divisibilis, sed eò quòd actu
non sit per poros divisibilis, licet in alias partes divisione non refu-
giat. Hæ particule minima licet per nova materiam appositio-
nem augeri possint, interim tamen quum omnibus poris, ut
supposuimus, destituantur, alimentum appositum sine cor-
porum penetratione intra se adsumere, atque sic secundum
quasvis partes, in quas potestate sunt dividuæ, augeri non pos-
sunt. Quia verò anima est per se incorporea, atque nec
quanta, sit, ut omnes materiam particulas possit permeare.
Hinc forma per accidens redditur quanta, perque materi-
am quantam extenditur & partes adipiscitur, ita ut in
magno corpore magna, in parvo parva fiat. Cùm
verò nulla ejus particula possit considerari, quæ in additione
materiam non extendatur, idè extendi omnes partes dicen-
dum est, & sic cum per accessum novi alimenti extenditur
corpus, omnibus partibus magnitudinis fieri accessionem
non ratione materiam, sed ratione formæ, ut dicit Philoso-
phus. Vid. *Zab. c. 19 & 21*

Th. XV. Ex hisce aliquod etiam generatur lumen se-
cundum affirmativum Augmentationis requisitum. Admissis conditione ac-
cis enim istiusmodi poris, facillimum erit intellectu quomodo accretionis,
dò vivens accedente alio quòdam corpore nihil lais ubi quis
Accretionis conditionibus negativis ipse accipere incre-
menta. Quod autem Augmentatio progressi non possit è po-
testate quanto in actu quantum verum ex potestate tanto in
actu tantum, accuratissime ipsemet Philosophus cap. est. 8.
cum eo Ampliusimus MONTANUS ZENOSOLIDUS *Instr. Phys. es-*
1at. loc. 5. 32. prolixè docent, qui possunt consuli. Nobis suffi-
ciat dixisse viventis corpus augeri, accedente aliqua ma-
Augmentationem à Rarefactione quippe quæ tantum ex
quædam extenuatione & quasi substitutione materiam con-
surgit.

Th. XVI. Præscindimus autem heic ab alimento inter
nò & extorò, atque ingenere tantum dicitur facimus men-
tionem.

tionem. Possē enim naturam intrinsecus quandoque sup-
ditare, unde conservetur vivens, variis in genere animantium
experimentis prostat. Causam hujus rei putat *Thomas lib.*
II. quest. 9. esse caloris de bilitatem, quæ efficiat nimirum, ut
diutius absque alio accedente circa adsumptum alimentum
sit occupatus.

Tertia condi-
110.

Th. XVII. Tertia Augmentationis conditio ex Th. IIX.
etiam erit clarissima. Quum enim individui alicujus unitas à
formâ constituatur, igitur eadem prorsus formâ per totius
vitæ curriculum permanente absque ullo suarum partium flu-
xu, idem vivens facile servari, salvâque essentiâ suâ, ut requi-
rit definitio, augmentari poterit. Adeo ut per hoc etiam
nostra sententia, supra prolata non parum vicissim nancisca-
tur firmamini. Sanè si cum materiæ fluxu forma simul abit,
quâ ratione servabitur individui identitas? Quod autem de
identitate secundum æquivalentiam proferunt, vanissi-
mum est. Hoc enim pactò & aqua per utrem distillens,
succedente post aliâ, servaretur eadem, quod tamen non so-
lùm *Aristoteli*, sed ipsi rationi saniori etiam reluctatur.

Sequuntur
negativa.

Th. XVIII. Et hæc pro conditionum affirmatarum
uberiori explicatione monere necessarium duximus. De ne-
gativis, liceat ita cum *Thomâ* loqui, quum illæ ex terminis pa-
teant aliasque etiam non sint ignotæ, & à nobis insuper jam
hinc inde in superioribus explicatæ, nihil consultò subnectim.
Dispalescit ex hisce veritas *textus Aristotelici 34.* quod vivens,
non alimentum augeatur. Nutritionis subjectum post aucti-
onem, uti audivimus, debet manere idem; at alimentum mu-
tatur in substantiam partis nutriendæ, non erit proinde, po-
steaquam fuerit auctum, idem, adeoque nec *ἄνευ αὐτοῦ*.
Hæc autem conditio tertia Augmentationi non est propria,
sed ei cum aliis mutationibus accidentalibus communis, quâ
omnes à mutatione substantiali distinguntur.

Quomodo
maneat sa-
dem figura
in re qua au-
getur?

Th. XIX. Mirum autem heic alicui possit videri, quod
eadem viventis figura in totò Augmentationis cursu retinea-
tur, quum tamen omnes fermè materiæ partes fuerint per-
mutatæ. *Averroes* ait, naturam esse, quæ servat figuram illius
membrum in horâ Accretionis & Diminutionis; idque posse
fieri

fieri, quia dirigitur ab intelligentiâ non errante. *Piccolomineus*
qui *Averroem* citat, l. c. II. hæc comania dicta ab omnib. rejicit,
unde modum proximū & propriū ipse investigaturus, adscri-
bit infra hoc munus etiam quidem naturæ, sed eatenus, qua-
tenus natura, id est, bona est &c. Nos putamus, salvò aliorum
judiciò, causam proximam esse ad similationem & conversio-
nem nutrimenti in partem nutritam. Quum enim, ut dictum,
vivens usque ad terminum suæ magnitudinis, à naturâ sibi
præfinitur, non continuò varias propter remoras crescat,
hec unâ vice tota viventis materia defluat, sed lentè & quasi
gradatim, & vorò nutrimentum illi parti, in quam converti-
tur, planè, nisi impediatur, adsimiletur, fieri non potest, quia
eadem membrorum figura servetur.

Decisio.

Th. XX. Terminus Augmentationis à quo est minor & *Accretionis*
imperfecta quantitas; terminus ad quem (à quo, uti & motus *termini.*
alii, Augmentatio sortitur denominationem) est major &
perfectior quantitas. *Πᾶσι κίνησις ἐν τῷ ὄντι καὶ ἐν τῷ κινητῷ τὸ*
πρὸς τὸ κινῆσθαι, καὶ ἐν τῷ κινητῷ, καὶ ἐν τῷ κινητῷ, καὶ ἐν τῷ κινητῷ,
inquit *Arist. V. Phys.*
c. 1. 1. 3. Adjunge & i. seq. 7. Corpus enim augmentabile sub
imperfecta quantitate existit, & ad majorem, eam quidem,
quam provida rerum mater natura cuique præfinit, summè
contendit.

Th. XXI. Excludi heic iterum Rarefactionem, do- *Quorundam*
cent nonnulli. Hanc enim terminari ad raritatem, quæ sic *adducitur de*
qualitas circa quantitatem; Augmentationem verò per se *rarefactione*
ad quantitatem. Augmentatione accedere cum novâ materiâ *sententia.*
etiam novam quantitatem; rarefactione neque materiam
novam, ut Th. XV. dictum, neque novam quantitatem, sed
explicatâ materiâ simul explicari ipsius quantitatem, quæ an-
teâ in materiâ quasi complicatâ dilatuert. Vide *Thomam l. c.*
quest. 9. dñb. 1. Conimbr. quest. 17. in lib. P. Hic Mendoc & dist.
IV. de Gen. & Corr. qui prolixè hæc de re non solum tractant,
sed argumenta *Stou, Marsili, Pomponati,* aliorumque con-
trarium sententium debellare nituntur. Nos ea relinquimus
in medio.

Th. XXII. Quum autem assas Natura abhorreat infi- *Corpus non*
nitum, ut inquit *Arist. 1. de Gen. animal. c. 1.* idè nec vivens, *augetur in*
in fla- *in finitum.*

in statu suo naturali & Physicè si consideretur, semper potest augeri. Dico *Physicè* si consideretur. Notum enim, quod virtutia ceteraque naturalia possunt considerari dupliciter, vel Mathematicè & præcisè secundum quantitatem, quam habent, & hæc in consideratione nullis utique finiuntur cancellis, ipsò Philosophò consentiente III. *Ph. 6. 1. 58. 1. 599.* vel Physicè secundum formam substantialem, quæ mediante in tali vel tali constituuntur specie, hinc respectu terminum magnitudinis, à naturâ præscriptum, omnino transgredi non possunt. Expressè enim scribit *Philosophus II. de Anim. 1. 41. τὸν φύσει συνστάτων πύξος ἐστὶ καὶ λόγος καὶ ἀνθρώπων, καὶ ἀνθρώπων, omnium naturâ constantium (i. e. viventium) terminus est, & natiæ magnitudinis & augmenti.* Collactea habet *Phys. 1. 1. 36. 1. 1. 1. 4. Quod quidem fieri non existimandum propterea ac si anima ipsiusque vires debilitaretur aut corrumpere, sed alia hujus rei causæ jam memorabuntur. Prima est causa finalis, justæ scilicet magnitudinis consecutio, Acquisito scilicet cessat ratio causandi, quæ ob illum finem consequendum instituebatur, commune est Philosophorum axiomata. Viventia enim omnia, utar verbis *Toletii comment. ad 1. 1. de anim. 1. 41.* certum limitem suæ quantitatis habent, quem transgredi non licet, quantumcunque eis alimenta addantur. Gemina planè hæc lege apud ipsum Philosophum *IV. de Generatione animalium capite 4.* Et quemadmodum omnes alia virtutes naturales sunt determinatæ, ita & Augmentationem ad certum aliquem terminum oportet esse restrictam. Quis autem recito verba *Ben. Pererii ex libri X. de princip. rer. nat. cap. 23.* sit præcisè terminus magnitudinis & parvitas in quolibet specie rerum naturalium, propriè cognoscere, difficillimum est, ne dicam impossibile: nam quemadmodum facile est assignare magnitudinem vel parvitatem, ad quam non potest pervenire homo, ita difficile est, assignare certam aliquam magnitudinem & parvitatem, ad quam præcisè pervenire potest, & non ultra progredi. Alii collocant Augmentationis terminum in annum XXI, alii in annum XXX, inchoative, *Toletus in annum XX. Aristoteles docet, hominem quia-**

Ejus causa

quinquenniò ferè habere circiter dimidium totius suæ proceritatis, quam natura ipsi indulgebit olim. *Plinius* adscribit id trioteridi. Nos hæc omnia suo relinquimus loco. Secunda causa (alias præterire cogimur) est subjecti recipientis ineptitudo. Ossa enim, quæ basis sunt & fulcrum universæ molis corporeæ, & ad quorum incrementum crescit totum viventis corpus, in lubricâ puerorum ætate sunt humidiora, adeoque molliora extensuque facilia, quæ ætatis progressu calore ita exsiccantur & indurantur, ut ad extensionem planè sint inepta. Vide *Pererium l. c. Conimbr. l. c. qu. 14. Magirum Phys. l. 1. c. 5. p. m. 85. seg. & lib. VI. c. 3. pag. 607. seg. Sennertium Epit. N. S. lib. VI. c. 2. p. 482. & NOSTRI ZEISOLDI notas in Jachæum pag. 664. aliosque.*

Th. XXIII. Causa verò, cur aliqui ad magnam staturam proceritatem adsurgant, aliqui infra subsistant, juxta *Conimbr. ra. causa. quest. 11.* nulla est alia, quam facultas alitrix, quæ in his imperditur, in illis non. *Dependet autem, inquit illi ibidem, ea præstantia quoad usum opusq; assequendum à bonitate humidi primogeni & temperamenti, ad quod concurrunt non solum progenitores, sed etiam sidera & stellæ, quarum quisq; in suo conceptu ortu ve irradiationem habuit, itemq; soli & regionis natura. Juvat præterea corporum incrementa alimenti copia. Nam ob ejus defectum proveniunt nonnulli quam pumiliores, ut testatur Aristoteles in Problematibus sect. 10. prob. 14. Juvat item ciborum commoditas, si quidem homines auferunt dulcibus atq; pinguibus, & aquæ plus quam vini potu, minuantur siccis & frigidis & suis. Juvat temperata & moderata membrorum exercitatio, quies opportuna, vacantes laborum & molestiarum aliq; id genus, qua decoctionem promovens.* Hactenus laudati *Dd.*

Th. XXIV. Hisce ita in definitione explicatis, Accretionis modum paucis etiam proponemus. Cum enim Augmentatio fiat per nutrimenti appositionem, hoc ipsum verò sit primùm dissimile, igitur prius est elaborandum, corporiq; reddendum consimile. Modus hic pro viventium varietate varius est, & in genere de eò nihil certè ferè dici possit. Si verò in ullò, certè in hominum genere, maximè est conspicuus, & ab Anatomicis, qui & in minima humanorum corporum inquirere conantur, singulari studio observatus & explicatus.

C

Et qui-

20

Modo accretionis præsupponit aliquos conceptus.

Et quidem tres distinctæ hîc occurrunt concoctiones: quarum prima vocatur chylicatio, quâ alimentum dentibus comminutum, crebra lingvæ agitatione per œsophagum deorsum in ventriculum depulsum, à coëctrice facultate, tam propriô ingenitoque ipsius ventriculi, tum vicinarum partium calore, in massam, cremori ptisanæ non absimilem (chylum vocamus) commutatur, excrementis crasioribus per alvum dejectis. Secunda appellatur Sangvificatio, cum chylus per *πλωρῶν* deorsum detrusus, ejusque melior & nobilior pars à venis lacteis in fluxuosâ illâ intestinorum, quam celebrant, circuitione adtracta, & quodammodo alterata, ex quorundâ sententiâ ad cor, secundum alios verò primò ad epar, deinde ad cor, tanquam propriam sangvinis officinam, delata, in his perfecti sangvinis formam acceptat, bili flavâ in folliculum fellis collectâ & excremento serenosô separato & in vesicam detrufo. Tertia concoctio fit, quando ab excrementis expurgat° sangvis per arterias ad omneis corporis parteis directus, per poros, servatâ quâdam mirâ ratione justitiæ mediocritate, spectataque cujuslibet partis conditione, intus recipitur (per quam receptionem, si plus alimenti advehitur, quam deperdidit, vivens extenditur, atque ita augetur) & deinceps adsimilatus sensim partibus illis, à quibus recipitur, in illarum substantiam convertitur, foridibus per cutis poros transpirantibus. Consulantur hâc in materiâ Anatomici, præprimis recentiores, quibus sedulâ investigatione multa hæctenus, veteribus incognita, innotuere.

*Accretionis
formalis ratio*

*Ab aliis motibus
distinctio*

Th. XXV. Natura itaque & formalis ratio Augmentationis consistit in extensione, cæteris tamen non exclusis. Plures equidem requiruntur & Augmentationem antecedunt mutationes, non tamen hanc ob causam erit illa omnium motuum congeries. Distinguitur enim à coeteris secundum Philosophum *l. 1. de ori. & inter. t. 25. (a) terminis.* Generatio tendit in substantiam; Alteratio in quantitatem; Motus localis ad ubi; Accretio verò ad quantitatem. (b) modò. Cum enim res generatur vel alteratur, non necessariò mutat locum; at quod accretionem subit, mutat omninò locum,

cû aliâ tamē ratione, quàm quod fertur motu locali, re&ò vel circulari Accretione enim res neq; ex totò mutat locû, neq; in eodē semper permanet, sed cum accrescit majorē, cum decre- scit, minorem acquirit. (c) Eam etiâ ab aliis secernum obje&ò. Quatenus enim nutrimentû est potentiâ substantia, obje&um generationis partialis, Nutritionis scilicet; ut potentiâ quale, Alterationis; quatenus verò potestate tantum, Augmentatio- nis constituunt. Vide Thomam *l. c. quest. 9. & Piccolomineum cap. IV. sub fin.*

Th. XXVI. Proscribimus hinc, qui Augmentatio- nem cum Generatione confundunt, & sufficienter refutantur à Franciscò Toletò in *lib. 1. de Gen. & Corr. questio. VIII.* aliisque Exterminamus illos, qui Accretionem per pulsus unius particule ad aliam, & sic consequenter somniant, quorum argu- menta subrupit & labefactavit illustris Zabarella *c. III. IV. & V.* Ejicimus etiam eos, qui accretionem viventium per rarefa- ctionem alimenti, in substantiam conversi, consieri autumant, & exploduntur à *Conimbricensibus quest. XVII.* ad quos Aucto- res etiam Lectorem sitientem amendamus, quum nobis *βερρυτη φιλις* studium præsentis pagellæ imperent. Hoc interim adhuc notamus ex *Philosophò l. c. t. 35.* parteis simila- res augeri prius, quàm dissimilares. Similares enim sunt e- jusdem naturæ sive rationis cum aliis partibus ejusdem toti- us, dissimilares contrâ, & ex similaribus constant, unde & per illas augentur.

Th. XXVII. Heic circa propositum Accretionis mo- dum quæritur, num motus nutrimenti sit naturalis, nec ne? Ad quam quæstionem respondemus, quod si alimentum in se & naturâ suâ consideretur, quatenus est corpus aliquod grave, motus iste, quò ad singulas parteis transmittitur, omninò non est naturalis, sed violentus; sin verò facultatis aug- mentatricis virtus attendatur, quin motus ille sit naturalis, nulli dubitamus. Adi sis Thomam libro sæpiùs laudatò *quest. XI. dub. 6. & Piccolomineum cap. VI.* aliosque.

Th. XXVIII. De quantitate alimenti etiam heic potest quæri, an illa veteri materiæ, in corporetur, an planè quasi pereat

*Q. An motus
alimenti sit
naturalis?*

*De alimentè
quantitate
pereat*

percat, h'ic solummodo manente, an verò utraque simul a-
mittatur & nova consurgat, utramque complectens? Nos
brevitati litantes, putamus, utriusque materiæ quantitatem
manere, & solum ipsarum mutari terminos. Non secus ac
quando una linea in directum jungitur alteri, ubi neutra
corrumpitur, sed mutatur dumtaxat puncta ipsas terminan-
tia atque ita una linea major ex duobus minoribus constri-
tur. Consule Zabarellam cap. XX l.c.

*An accretio
motus continuus
sit?* Th. XXIX. An autem Augmentationis motus sit con-
tinuus & successivus, disputatio non levis est inter commen-
tatores. Que verò quia altioris videtur indaginis majoremque
requirit industriam, quam præsentis permittent pagellæ, ideo
ulteriorem ejusdem diductionem & enucleationem alii
reservare cogimur occasione. Consulatur interim hæc de re
Thomas l.c. quest. XII. Franciscum Toletum lib. I. de Gen. & Corr. quest.
XI. Conimbr. l.c. qu. XVI. Petrus Hurtadus de Mendozá Disput. III. de
Gen. & Corr. sect. 2. aliique.

*Accretionis
oppositum.* Th. XX. Accretioni opponitur privativè Diminu-
tio, cujus natura & indoles ex dictis nullò negotiò etiam in-
notescit. Nos ad felicem portum festinaturo non possumus,
quin ad que declaranda dogmata nostra doctrina supra de-
clarata adhiberi soleat, pauillis commonstremus.

*monstratur
doctrina de-
clarate usus.* Th. XXXI. Et quidem primò, quando in Politicis que-
retur: quamdiu eadem maneat civitas? Respondent eam
non tolli per hoc, quòd cives successivè esse desinant, aliique
iisdem succedant. Adfertionis rationem adsignant, quia ad
hoc, ut unum numero corpus maneat, non requiritur, ut ea-
dem numero materia sine mutatione maneat, sed fieri potest,
ut recedat alia, alia accedat particula salvà illius idenitate:
ideò etiam civium, qui in civitate materiæ locum obtinent,
cessum non mutare civitatis identitatem. Sicut verò ad i-
dem numero corpus conservandum eadem forma necessaria
est, ita quoque quamdiu eadem sospes sit respublica, que
formæ locum in civitate habet, tamdiu eandem quoque re-
manere civitatem. Hæc est ipsius Philolophi doctrina 1. 3. Po-
lit. c. 2. ubi inter alia ita: *Perpicuum est maximè, inquit, dicen-*
dum

*dum civitatem esse unam, ad rempubl. respicientes: nomine autem,
vocare diverso vel eodem licet & iisdem habitantibus ipsam: & valdè
diversis hominibus. Mens illius huc redit, quia de identitate &
diversitate civitatis judicandum est ex republicâ tanquam
formâ; ideò non solum iisdem sed etiam diversis hominibus
existentibus, eandem posse esse civitatem, si modò eadem
superstes sit reipubl. forma; posse etiam non solum diversis,
sed etiam iisdem hominibus existentibus, diversam esse civi-
tatem, si videlicet reipublicæ forma in aliam fuerit mutata,
quemadmodum & chorum quandoque; quidè comici, quandoque;
tragicum, diversum esse dicimus, iisdem sæpè hominibus existentibus.
Huc pertinet, quod ait Imperator l. 7. §. 2. ff. quod cuiusque uni-
versitatis nom. in decurionibus vel aliis universitatibus nihil refer-
re, utrum omnes iidem mancant, an pars maneat, vel o-
mnes immutati sint. Addatur Philip. Scherbius comment. in loc.
Arist. civit. Nobiliss. Conringius introd. in Politic. Arist. c. 4. pag.
197. aliique passim Politici.*

Th. XXXII. Ex eodem fundamento Theologi, Eccle-
siam his in terris hodiè militantem ab eâ quæ Patrum memo-
riâ exitit, non diversam, sed ab initio mundi unâ numero ser-
vatâ fuisse, docent verissimè. Licet enim illius materiale, non
manserit idè, cum fideles corporibus lavati in cœlestia palatia
dudum penetrârint alii alii per apostasiâ defecerint, & alii, vi-
cissim mediante verbo & sacramentis eidem fuerint associati;
formale tamen, conjunctionem scilicet fidelium cum Christo per
fidem, teste Scripturâ, semper mansisse, nec defuturum esse,
donec fractus illabatur orbis; adeoque unam semper nume-
ro fuisse Ecclesiam, ad diem illum censorium usque duratu-
ram. Sed ne falcem in alienam messem videamur immittere,
hæc accuratiùs pensculanda relinquimus Theologis, quip-
pe ad quorum Scholas etiam pertinent.

Th. XXXIII. Huc referunt & nonnulli illud, quod De-
us Exod. III. 17. promiserit educationem populi Israëliti de
afflictione Ægyptiaca in terram Canaan, quum tamen Num.
XIV. v. 23. jurejurando fuerit protestatus, neminem, qui glo-
riam ipsius adspexerit, tellurem illam fore visurum; dicentes,

promissionem Dei fuisse adimpletam in gente Israëliticâ, quia manserit eadem quoad formale, licet ipsius gentis partes materiales omnes ferè fuerint immutatae: Quod tamen in medio relinquo, cum jam tempus equum furmantia solvere collat.

Th. XXXIV. Ipsâ autem lubentiâ lubentior confiteor, quum doctrina hæc propter difficultatem non mediocrem ingenii mei viriculas multis parasangis exceferit, me persequi omnia non potuisse. Itaque si in uno alterove rem non tetigi, à TE, B. Leò faciliorem veniam impetraturum me confido. DEO TEROTUMO MAXUMO sint laudes sempiternæ, quod inter alia dona & bona, quæ super nos hæcenus plenè effudit cornu, & illustrem nostram Salanâ per centum hosce jam annos benignissimis suæ misericordiæ alis fuerit tutatus, atque hoc ipsius stativum multisque calidis votis à multis expectatum JUBILÆUM in pace concelebrare concesserit. Pergat ille Pater clementissimus in posterum quoque eidem gratiâ suâ adfistere, & felicissima ubertim clarigiri studiorum AUGMENTA.

SUPERPONDIA.

Perperam vulgò scribitur *Nigromantia*, redditurq; Germanicè die *Schwärze Kunst* / quum *Necromantia* vel *Neciomantia*, *Die Todten Kunst* / quâ umbrarum animarumque evocationes fiunt, & cum Inferis colloquia, sit scribendum.

Dari potest locus, ubi quis se in liberâ aëris regione citra omnem periculi metum possit circumgyrare, ita ut ipsius caput respectu nostri modò suprâ sit, modò infrâ.

ΘΕΩ ΔΟΞΑ.

Præstan-



Præstantissimo atq; Literatissimo
DN. GEORGIO REICHARDO HAMMERO,
Philosophiæ Cultori strenuo,
De AUGMENTATIONE disputanti:

Q Vale sit *Augmentum* dum doctos discutis inter:
Doctorum titulis, auguror, auctus eris.
boni ominis & gratulat. ergò scribebat
M. Casparus Posner, Phyl. Prof. Publ.
Ordinarius.

Monstrando quidnam fiet *Augmentatio*, monstras
Quanta sit ingenii visq; decusq; tui.
Augmentum Natura capit: Tibi Nostra Salana
Augmentum studii premia grata feras.

Hoc tetrasticho Pereximio atq; Doctissimo
DN. HAMMERO, Conterraneo ac Amico
suo singulariter dilecto animum ad quavis
officia promptum demonstrare, eidemque
laudabiles conatus gratulari voluit

M. David Schmidius, Lusatius, P. L. C. & SS.
Theol. Studiosus.

GEORGIUS REICHARDUS HAMMERUS.

per Anagramma (h. int.)

ACH! VERUS AGRIS SUDOR, IMMERGET;
Evolutio.

Grata quies *agri* Rarò comitatur Habentes
Curam, sed *Sudor*, continuusque labor.
Ante potest illos quam certo tempore frugum
Auctio lætarum lætificare bona.
Rara quies illis etiam, concedere sacris
Agri qui Charitum tempora cuncta solent.

Ach!



Ach! quam sæpè rigat *Venus* tum corpora *Sudor*,
Immergunt Studiis se benè quando fitis.
Sic, HAMMERE, tuum corpus vultumque rigavit
Sæpius hic *Sudor* continuusque labor.
Jamque rigat. *Physicis agris* conamine multo
Immergis dum Te; Prodere ritè *studes*,
Augmentario quid sit, jam defendis & Arte
Hanc dum materiam, non. mihi crede, *levem*.
Hicce Tibi *Sudor* propinat digna brabca;
Immerget Pallas munera quando Tibi.
Avstio Sudorem mox, Opto, sequatur Honorum
Decrescens nunquam nominis atque Tui.

*Paucula hæc honoris & Amoris
urgò addere volebat*
M. Sigfrid Ufauus Sorà Lufatus,
SS. Theol: Studiosus.

Feliciter!

Attica te virtus decorat, te *Suada* coronat,
Et tua Romanum gloria currit iter.
Ingenue Phæbum colis, aternasq; *Camænas*,
Invigilas illis, ingenioq; *viges*.
Qualis apis dulces flores collibat *Hymetti*,
Consurgis genii fertilis *Hybla* tui.
Gratulor hisce, tuam post hæc *ditos* famam,
Adstet ceptis summus *Iovis* tuis.
Sic tua non poterit tenebescere gloria, virtus
Clara sed in mediâ nocte *Pyropus* erit.

Eximio & Literatissimo Dn. Respondenti
Disputationis hujus Autori Industrio,
Amico meo sincere colendo, amando
L. M. Q. fac.
M. Georgius Försterus Marglifs
Lufatus, SS. Theol: stud.



EXERCITATIO ACADEMICA IV.
De
EXISTENTIA,

Quam
in Jubilæi Academici Salani,

d. 2. & seqq. Februarii celebrati,

memoriam,

DEI & Superiorum indultu,

PRÆSIDE

M. CHRISTOPHORO HEINRICO
LOEBERO, Amplissimæ Facultatis Philo-

sophicæ ADJUNCTO,

publicè habendam

exhibet

SAMUEL Sommer/Mellenbachio, Schvvarzburgicus,

AUTOR,

Ad d. Februarii,

anni, quo

Grata Dies festos CeLebrabat Iena
trIVMphans.

Prelo FRETSCHMIDIANO.

